



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 27. Congregatio generalis Sessioni præmissa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](#)

Sæcul. XVI. inficias ire possumus, quod Navarræ Re-
A.C. 1545. gina, Francisci I. soror, nec non Stam-
 parum Ducissa, quæ Galliarum Regis
 scortum erat, ex ulciscendi cupiditate
 infelicem hunc Cancellarium haud pa-
 rum vexarint, eoquod hic regium Diplo-
 ma, quod Reginalda ad Stamparum Du-
 cissæ preces in odium Tilleti impetrave-
 rat, firmare renuisset. Interim Poyeto ita
 condemnato Rex Sigilliferi munus Fran-
 cisco de Montholone Parisiensis Curiae
 Præsidi commisit, Cancellarii autem ti-
 tulum eidem minime adjecit: Poyetus
 vero inopia pressus, ac ignominia, annis
 que plenus mense Aprili hoc anno Domini
 millesimo quingentesimo quadragesimo
 octavo e vivis excessit, postquam æ-
 tatis suæ annum septuagesimum quar-
 tum expleverat.

§. XXVII.

Congregatio generalis Sessioni præmissa.

Pallav. hist. *Trid. lib. 6.* *c. 2. n. 2.* Anno sequenti millesimo quingentesi-
 mo quadragesimo sexto die quinta
 Januarii habita est generalis Congrega-
 tio, in qua de rerum ordine in Synodo
 servando, nec non de modo quæ tiones
 in proxima Sessione proponendi ageba-
 tur, ibidemque Pontificis Diploma fuit
 prælectum, vi cuius Episcopi ceterique
 Synodi Patres a decimis eximebantur.
 Post-

Posthæc habebatur examen circa eos, Sæcul. XVI.
 quibus jus suffragii competeteret, exinde A.C. 1546.
 vero quædam mota fuere dubia; quippe Cardinalis S. Crucis, qui Montano Cardinale ob podagram absente Praesidis vices agebat, in eam abibat sententiam, quod Regulares in juris sui, quo jam a longo tempore potiebantur, possessione conservarentur, eisque suffragii, ut vocant, deliberativi prærogativa concederetur. Verum Petrus Pachecus Giennensis Episcopus non ita pridem Cardinalium Collegio adscriptus huic disceptationi interposuit, quod Episcopi cunctos Religiosos a jure suffragii excludi minime postularent, sed id unice denegaretur Abbatibus, quorum numerus summopere excreverat. Hujus Cardinalis sententia sine nova controversia a ceteris quoque fuit adoptata, quamvis postea alia rursum contentio fuerit exorta.

§. XXVIII.

Contentio circa Abbatum suffragia.

Post hæc Synodi Praeses a Patribus petit, ut tres Congregationis Cassensis Abbates a Papa ad Concilium missi ad ferenda suffragia admitterentur, simulque pedo ac mitra insignes in Synodo exciperentur. Annuebant quidem